



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

40. Quanta debeat esse eleemosyna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

filio. In hoc omnes conueniunt, & S. Thomas 2. 2. quæst. 31. ar. 3. Aduerte tamen, quòd si ordinem charitatis spectes, potius homo debet amare proprios filios, immò & vxorem, quàm parentes, vt auctor est S. Thom. 2. 2. quæst. 28. Et ratio est, quia plus est sibi coniunctus filius, cum sit de propria substantia, & vxor, quæ est vna caro secum, quàm parentes, à quibus procedit. Ordo autem charitatis incipit à coniunctoribus; at verò nõ sic est ordo elemosynæ, quæ cum sit beneficium quoddam & retributio, plus respicit debitum; & quia parentibus plus debemus, quàm filijs, hinc est quòd plus illis est eroganda elemosyna, quàm filijs & vxori.

Quarta conclusio est. In æquali necessitate iste ordo communiter est seruandus, vt primum locum consanguinei; secundum, hi, quorum nobis est cura; tertium, benefactores, quartum, amici; quintum, noti; sextum, extranei obtineant. Hoc intellige, cæteris paribus: nam tam vtilis potest esse extraneus Reipubl. vt præponendus sit consanguineo; & tam amicus, vt præponendus sit minimo benefactori.

In singulis autem ordinibus obseruanda est quinta conclusio: Meliores & vtiliores Reipubl. sunt præponendi in necessitate æquali: v. g. inter æquales consanguineos præponendus est melior, & studiosior Reipubl. & vtilior. Similiter & inter amicos, & inter alios singulorum ordinum. Per has conclusiones mediocris potest haberi notitia ordinis erogandi elemosynas.

Quanta debeat esse Eleemosyna.

CAPVT XL.

OMnes conueniunt, abundantem elemosynam esse faciendam: Tamen aduerte, aliquam elemosynam dici abundantem ex duplici parte, ex parte accipientis, & ex parte dantis. Ex parte quidem accipientis dicitur dupliciter abundans.

Vno modo, quando supplet omnem necessitatem indigentis; vt, qui indiget centum, si accipiat centum, abundanter accipit.

Altero modo, cum non solum supplet necessitatem, sed superfluit.

perfluit.

perfluit: plus enim accipit quam indiget. De hac ergo abundantia ex parte accipientis.

Dico primò. Quisq; tenetur abundanter dare, vt sufficiat toti necessitati indigentis, cum extrema aut grauis est, & ipse potest esse sine periculo æqualis, aut maioris indigentia proprie. Quando igitur laborat quis extrema aut graui, tenetur, qui potest, liberare eum à graui seu ab extrema. Verum est, quod, si essent multi, qui vni vellent conferre, tunc sufficeret singulis dare quantum sufficit, vt vnà cum alijs succurratur necessitati indigentis.

Dico secundò, in communibus necessitatibus bonum est abundanter dare; non tamen est obligatio: satis est dare partem aliquam ad subleuandam necessitatem indigentium, præsertim cum alij etiam simili modo elemosynam faciunt.

Dico tertio, dare abundanter ita, vt superfluum sit, potest, & bene & malè fieri. Benè quidem, si bona intentione datur, vt indigens, non solum sibi, sed & alijs habeat; vt vt necessaria habeat, & quibus commodè viuat. Malè fit, si cognoscatur indigens abuti superfluo in ludis, vel alijs vitijs, & adhuc ei datur; aut cum datur ad ostentationem & vanam gloriam; aut cum alteri negatur necessarium, dum alteri ministratur superfluum; aut cum tale superfluum perit, & fit prodigalitas quedam: & huiusmodi peccata ex se venialia sunt, nisi cum constaret indigentem mortale aliquid committere ob huiusmodi superfluum. Est etiam elemosyna abundans ex parte dantis, cum multum datur. Hoc autem multum non tam est considerandum in se, quam habita ratione facultatis ipsius dantis: aliquando enim qui minus dat, plus dat & abundantius, quia minus habet; & plus est sibi illud paucum, quam diuiti illud multum. Et sic dicta est illa vîqua, Lucæ 21. abundantius dedisse; cum tamen in se paucum dedisset. Hoc autem modo abundanter dare laudabile est & meritorium, dummodo homo non incurat seu contrahat indigentiam tantam, vt familie suæ commodè succurrere non possit. Debet enim homo primo loco se, & suos constituere in necessitate æquali.